

A go euangelista, poterat enim dicere, In principio fecit deus uerbum: quomodo dixit Moy^{Gen. 1} ses, In principio fecit deus cœlum & terram, & omnia sic enumerat, Dixit deus, fiat, & factū est. Si dixit, quis dixit? Vtiq; deus. Et quid factum est? Creatura aliqua. Inter dicentem deū & factam creaturam quid est per quod factum est: nisi uerbum, quia dixit deus, Fiat, & factum est. Hoc uerbum incommutabile, quamuis mutabilia per uerbum fiant, ipsum incommutabile est. Noli ergo credere factum, per quod facta sunt omnia, ne non reficiaris per uerbum, per quod reficiuntur omnia. Iam enim factus es per uerbum, sed oportet te refici per uerbum. Si autem mala fuerit fides tua de uerbo, non potes refici per uerbum: & si tibi contigit fieri per uerbum, ut per illud factus sis, per te defeceris: & si per te defeceris, ille te reficiat qui te fecit: si per te deterior efficeris, ille te recreet qui te creauit. Quomodo te autem recreet per uerbum, si male aliquid sentias de uerbo? Euangelista dicit, In principio erat uerbum: & tu dicis, In principio factum est uerbum. Ille, Omnia per ipsum facta sunt, dicit: & tu dicis, quia & ipsum uerbum factum est: poterat dicere euangelista, In principio factum est uerbum: sed quid ait? In principio erat uerbum. Si erat, non est factum, ut ista omnia per ipsum fierent, & sine ipso nihil. Si ergo erat in principio uerbum, & uerbum erat apud deū, & deus erat uerbum: si non potes cogitare quid sit, differ ut crescas. Ille cibus est, accipe lac ut nutraris, ut sis ualidus ad capiendum cibum. Sanè fratres quod sequitur, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est est nihil. Videte ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim dicere multi male intelligentes, sine ipso factum est nihil, & putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per uerbum factum est. Habet quidem formam quandam humanam, sed ipse homo per uerbum factus est: nam forma hominis in idolo, non per uerbum facta est: & scriptum est, Scimus quia nihil est idolum. Ergo ista non sunt facta per uerbum: sed quæcunque naturaliter facta sunt, quæcunque facta sunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ uolitant sub cœlo, & quæ mouentur in uniuersa natura rerum, omnis omnino creatura. Dicam planius, dicam fratres ut intelligatis, ab angelo usque ad uermiculum. Quid præclarius angelo in creaturis? Quid extremius uermiculo in creaturis? Per quem factus est angelus, per ipsum factus est & uermiculus, Sed angelus dignus cœlo, uermiculus terra. Qui creauit, ipse disposuit. Si poneret uermiculum in cœlo, reprehenderes. Si uellet angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes: & tamen propter hoc facit deus, & tamen non est reprehendendus. Nam omnes homines de carne nascetes, quid sunt nisi uermes? Et de uermibus angelos facit, Si enim ipse dominus dicit, Ego autem sum uermis & non homo: quis dubitat hoc dicere, quod scriptum est & in Iob, quanto magis homo putredo, & filius hominis uermis? Primo dixit, homo putredo, & postea, filius hominis uermis: quia uermis de putredine nascitur, ideo homo putredo, & filius hominis uermis. Et ecce quod fieri uoluit propter te, illud quod in principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Quare hoc factum est propter te, nisi ut suggeres qui manducare non poteras? Omnino ergo fratres sic accipite, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vniuersa enim creatura per ipsum facta est, maior, minor: per ipsum facta sunt supera, infera: spiritalis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla cœcordia partium, nulla qualiscunq; substantia, quæ potest habere pondus, numerum & mensuram, nisi per illud uerbum, & ab illo uerbo creatore, cui dictum est, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. Nemo ergo uos fratres fallat, quando forte tædium patimini ad muscas. Etenim aliqui derisi, à diabolo decepti sunt, & à musca capti sunt. Solent enim aucupes ponere in muscipula muscas, ut esuriētes aues decipiant: sic & isti ad muscas à diabolo decepti sunt. Nā nescio quis tædiū patiebatur ad muscas, inuenit illū Manichæus tædio affectū, & cum diceret se non posse pati muscas, & odisse uehementer illas, statim ille, Quis fecit has, inquit,